



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Difficultas II. An Libertas sit prædicatum essentielle?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

Sanctiſta, & ante eos Calviniani. Sed Libertas non ſtat in illa negatione coactionis: quod ipſum ordinariè probatur: quia Beati non coguntur amare Deum, & tamen illum non libere amant. Intellectus ſuppoſito aſſenſu præſentiarum non cogitur ut aſſentiat. Concluſio coactio enim & invitum, in hoc genere coincidunt, non invitum autem intellectus aſſentitur Concluſioni. Et certè circa objectum ſuum veritas potentia actu à ſe proſecto, non facit id præſentiarum, aliàs dicerem potentiam ſenſitivam inviti delectari, ſi vel ſemel cum tendentia in objectum contemperatum principiis potentia tendentis, dicatur ſtare invitum.

Deinde negatio coactionis videtur eſſe aliud negativum, cum tamen eſſe liberum ſit quod ex communi apprehenſione poſitivum.

RESPONDEBIS. Quòd intellectus violentiam vera haberet in aſſentiendo Concluſioni non eſſet potentia neceſſaria.

CONTRA: Quia præſcindendo à quæſtione de voce; Quæro, an cogatur, vel non cogatur intellectus ad aſſentiendum? ſi cogitur? reſpondetur argumentum factum. Si non cogitur? Ergo conſentit liberè: quod falſum: quidquid ſit, non debet dici pati violentiam id quod neceſſarium eſt. Deinde etiam potentia neceſſaria poſſunt pati violentiam: nam Lapis deorſum etiam projectus cum impetu, violentiam habet, & tamen eſt potentia neceſſaria ad motum deorſum: homo item habet potentiam neceſſariam productivam motus progreſſivi, & tamen in motu progreſſivo violentiam pati poteſt, ſi protrudatur.

PROBATUR 3. Tum quia vel liberum eſt homini eſſe liberum, vel non eſt liberum? neutrum dici poteſt: Ergo neque dici poteſt libertatem ſtare in negatione coactionis. Min. probatur, ſi non eſt liberum homini ut ſit liber, ergo cogitur, ergo contra reniſum voluntatis eſt liber. Si autem eſt liberum illi: Ergo non cogitur ut ſit liber: quod ipſum non cogitur ut ſit liber, quem rogo ſenſum habere? ſi enim dicas, non cogit homo ſe, ut ſit liber; ridiculum eſt: nam pro illo priori, quo debet poni homo, debent præintelligi principia productiva illius, adeoque productiva illius in eſſe liberi: non ſupponitur autem ante poſitionem hominis, homo non ſe cogens ut ſit liber. Non etiam poteſt dici, quòd Deus non cogat hominem ut ſit liber, adeoque liberè eſt liber: quia ſi id verum eſt, tunc huius poſitionis, homo eſt liber, ſenſus erit, hominem non cogit Deus, ut ſit liber: quod dici non poteſt. Ponamus enim, quòd cogat Deus hominem; vel erit liber, vel non: Si non erit liber, ergo falſum eſt illum cogi ut ſit liber: Si autem erit liber? Ergo cum coactione ſtat libertas. Tum, quia poſſibilis eſt talis libertas quæ ſtet cum indifferentia, & cur non erit noſtras? Tum, quia quando aliquid in

rationalibus ſit contra reniſum voluntatis, illud eſt coactum & tollit libertatem: tunc quæro, ille reniſus voluntatis, vel ſupponit potentiam liberam vel non ſupponit? Si non ſupponit: Ergo nec facit; quia nullus actus in eo eſſe conſtituit potentiam, quod ab ea participat: atque ita cum reniſus voluntatis ſit liber, debet ſupponere potentiam à qua proficiſcitur liberam: Si ſupponit potentiam liberam: Ergo datur libertas ante elicium reniſum voluntatis, contra quem agit coactio.

Neque valet ſi dicas, quòd ſola actualis libertas conſiſtat in negatione coactionis, non autem ipſius potentia. Non enim eſt major ratio unius quàm alius: & ſi libertatem actus ſalvas per indifferentiam, ſalvare poteris & potentia libertatem. Tum, quia falſa eſt hæc affirmativa, omne neceſſarium habet indifferentiam ad utrumlibet, aliàs & objecta haberent indifferentiam: Ergo vera eſt hæc, nullum neceſſarium habet indifferentiam ad utrumlibet, quia in propoſitione neceſſaria, ſi ſit affirmativa falſa, debet eſſe vera negativa. Poſita veritate illius negativæ, vera erit oppoſita hæc alia diverſæ appellationis, omne ſcilicet contingens habet indifferentiam ad utrumlibet: Quæ ſimul eſt contraria illi negativæ nullum neceſſarium habet indifferentiam ad utrumlibet. Cum autem omne liberum ſit contingens, omne etiam liberum habebit indifferentiam ad utrumlibet. T. q. per oppoſitos non paucos in idem coincidere deberet non coactum & naturale: dicunt enim non eſſe liberum quia eſt naturale vivere animam: & tamen hæc duo communi etiam apprehenſione differunt.

DIFFICULTAS II.

An Libertas ſit prædicatum eſſentiale?

PRÆMITTO 1. Non eſſe quæſtionem de actu libero reduplicativè accepto: Nam certum eſt quòd illi eſſe liberum ſit eſſentiale, ſicut eſſentiale eſt accidenti eſſe accidens.

PRÆMITTO 2. Senſum quæſiti hunc eſſe; An eſſe liberum dicat prædicatum aliquod intrinſecum, quòd non dicit actus neceſſarius, conſequenter an actus liber idem in entitate poſſit vel poruerit eſſe neceſſarius.

PRÆMITTO 3. Sentire Hurt. & cum eo Eſparza aliosque, eſſentialem eſſe actui libero libertatem. Negat uterque Suarez, Vaſquez, Arriaga, Oviedo.

Punctum Difficultatis 1.

Proponuntur Argumenta utriusque partis. Negativa partis.

1. RATIO eſt. Quæ utitur Rec. Suar. quia Libertas actus dicit in obliquo requiſita ad ſe, qualis eſt advertentia, decretum conditionatum, concursus indifferens: hæc autem

p

sunt

P.
110D
WSKi
A. e. Z.
VI

sunt extrinseca actui, & possunt variari illo persistente: & ita actus qui incepit sine advertentia, potest continuari cum advertentia.

RESPONDERI potest. Retorquendo Argumentum. Relationi terminus est extrinsecus in sententia ipsius Recent. Suarez, nunquidne jam relatio persistere poterit variato termino? Facile item negabunt Oppositi, quod idem actus fieri possit cum advertentia & in advertentia, dicentque similes esse, sed non eosdem. Et licet differentias istas in ipso exercitio actus, potentia quæ elicit actum, discernere non possit, negabunt tamen quod in re, idem erit actus.

2. RATIO est quæ utitur Arriaga: Actus liber libertate contrarietatis, non differt à necessario quoad speciem, ergo saltem libertas contrarietatis non est actui essentialis: Ergo nec libertas contradictionis. Antecedens probatur, quia idem est amor Dei sive habeas paratum concursum ad odium habendum, sive non.

RESPONDERI potest. Quia cum necessitate quoad speciem stat adhuc libertas contradictionis: Hæc ipsa erit actui essentialis. Probatio etiam Anteced. ex dictis negatur.

INSTAT idem. Datur determinari ad actum amoris vel odii, ita ut alterutrum necessario elicere debeam, Petrus autem determinetur non nisi ad amorem, ille amor tam est mihi liber, quam Petro.

RESPONDETUR. Hoc ipsum esse quod negant Oppositi, ulteriusque probandum fuisset.

3. RATIO est Oviedi. Actus Liber est ille, qui provenit à principio indifferenti, sed est extrinsecum actui libero provenire ab hoc principio: quia actui amoris supponere ex parte principii duplicem cognitionem, unam quæ ducit ad amorem, aliam quæ ad odium, per accidens est; scilicet illa quæ ducit ad odium; ducens enim ad odium non influit in amorem, sed ab eo retrahit.

RESPONDETUR hoc Argumentum multum probare; Quia probat etiam actui libero, quæ liber est, non esse essentialem libertatem; quia in illum non influit per se cognitio, quæ retrahit ab objecto. Directè etiam Responderi potest. Actui scilicet amoris quæ amor est, accidentale esse, imò impertinens supponere cognitionem, quæ ducit v. g. ad odium; non tamen actui libero, sub formalitate liberi.

Addo, quod cogitatio inclinans ad amorem non juvetur cogitatione retrahente ab amore, per modum principii motivi, juvatur tamen à cognitione retrahente ab amore, per modum principii in esse liberi actus constituyente. Sic v. g. species impressa ut concurrat ad hanc speciem actus potius, non juvatur à potentia vitali, licet in ratione ponentis actum vitalem juvetur à potentia vitali. Et universaliter fieri potest ut duo principia concurrentia ita se habeant

ut unum non juvet aliud, in una ratione, juvet in alia.

4. RATIO ejusdem est. Idem actus qui procedit à voluntate Dei, & decreto ejus indifferente, procedere potest à decreto ejusdem determinato. Quia decretum Dei applicat omnipotentiam, nec ipsa per se influit: Ergo sive omnipotentia ex vi hujus, sive ex vi illius decreti applicetur; idem erit principium immediate attingens effectum: Ergo nec variabitur actus. Quia quotiescunque principium immediate attingens effectum est omnino idem, effectus potest esse idem. Addit, decretum applicans omnipotentiam habet se ita, sicut mea potentia loco motiva applicans ad deambulationem; sed eadem erit deambulatio, sive ab hac, sive ab illa voluntate applicetur: Ergo eadem erit volitio sive ab hoc, sive ab illo decreto omnipotentia applicetur.

RESPONDETUR. Voluntatem Divinam non esse causam immediatam effectus, sed non nisi applicativam ad effectum. Cæterum ipsa omnipotentia continet diversos concurrenti modos, hinc ex ea potest sequi nunc liber, nunc necessarius actus. Principium illud: quoties, cunque est causa immediata idem est effectus, tunc solum verificatur, quando eodem modo agit causa: negabunt autem oppositi, eodem modo acturam omnipotentiam in casu productionis actus necessarii. Instantia de deambulatione non tenet, quia illi utpote actui externo, nunquam primitiva libertas convenire poterit.

INSTAT idem. Non implicat contradictionem ut prædeterminet Deus efficaciter voluntatem ad ponendum actum, quem prævidet posse liberè à voluntate fieri: Ergo idem actus qui est liber potest esse necessarius. Antecedens probatur, si id non posset fieri, idem non posset, quia ille actus per se & essentialiter dependet à decreto indifferenti: vel idem non posset fieri, quia & esset necessarius, utpote procedens à principio determinato, & simul esset liber extrinsecus, & naturæ suæ: neutra ex his repugnantia sequitur: non prior, quia actus immediate non pendet à decreto Dei. Non sequitur etiam secunda repugnantia, quia ille actus non produceretur à principio determinato, & etiam ab indifferenti: Ergo non sequeretur illum fore necessarium & liberum.

RESPONDETUR. Non eundem actum, sed similem aliquo modo à Deo prædeterminandum. Et licet à decreto secundum se spectato non pendeat actus liber; pendet tamen ab illo prout applicante omnipotentiam. Negabitur etiam quod idem omnino actus sit futurus necessarius: diceturque illam prædeterminationem implicare: quia ex vi essentiae suæ, quæ nondum manet confutata, deposcit actus liber, ne prædeterminetur.

INSTAT 2. Idem. Sequitur ex opposito senten-

sententia, quoddactum liberum quem habui in
instanti precedenti, & jam illo careo, non po-
terit Deus de potentia sua absoluta ad hoc us-
que instanti conservare non producta alia co-
gnitione de novo: Sequela probatur, vel Deus
erat conservaturus illam volitionem liberam,
vel necessariam respectu voluntatis: non neces-
sariam; quia contra oppositos volitio de libera
transiret in necessariam: non etiam servabit il-
lam liberam, quia in tantum Deus potest con-
servare liberam volitionem, quatenus potest
applicare principia indifferentia, ex vi quorum
libere ponatur à voluntate: quod tamen jam eo
casu non esset; quia & omnipotentia, & decre-
tum, non nisi esset ad unum determinatum.

RESPONDETUR. Sicut Deus sine ulla prædeterminatione potest facere, ut homo consentiat, quantumvis datis principiis non necessitantibus; quæ alias explicata, ita poterit facere, ut etiam fiat conservatio actus positus, etiam principis indifferentibus.

INSTAT 3. Idem. Ad omnem volitionem
ad quam est libera voluntas cum his cogitatio-
nibus & principiiis creatis, est etiam liber
Deus suppositis iisdem principiiis: Ergo libertas
non est intrinseca actioni.

RESPONDETUR. Quando Deus dicitur esse liber respectu volitionis liberæ; non est iste sensus, potest Deus facere ne sint causæ indifferentes, maneat tamen idem effectus liber; alias posset etiam Deus prædeterminare, ut non nisi liber actus fiat; quod tamen alias refutatum manet: sed fit nonnisi hic sensus, quod nemo necessitet Deum, ut à parte sua ponat omnia quæ ad libertatem requiruntur.

¶ RATIO est. Actus Liber est ille qui po-
 nit omnibus prærequisitis potuit esse & non
 esse. Ergo ex eo præcisè potest intelligi hic actus
 liber quod processerit à voluntate cum omni-
 bus prærequisitis, ita ut talis actus potuerit esse
 & non esse.

RESPONDETUR. Conc. Totum, & Neg. quòd hoc ipsum posse esse & non esse non sit in-
tinsicum actui, vel quòd sequatur posse illum
etiam esse necessarium.

Affirmatiuæ Partis.

1. ARGUMENTUM est. Desumptum ex Pa-
ritatibus.

i. PARITAS est. Vitalitas est intrinseca a-
ctui: Ergo & libertas.

RESPONDETUR. Neg. Ant. nam etiam ly
ab intrinseco quod ponitur in definitione actus
vitalis, est aliquid extrinsecum, licet intrinsecè
requiritum.

2. PARITAS. Potentia libera differt essentialiter à potentia necessaria: Ergo & actus liber differt essentialiter à necessario.

RESPONDETUR Ant. In sententia identi-
ficante sibi potentias falsum est; si ly essentialiter

importet etiam alicuiusmodi entitatis. Quod si per ly essentialiter intelligatur quidem differentia per definitiones, sicut duæ illæ potentie distinctas habent definitiones, ita & actus liber & necessarius distinctas etiam habebunt definitiones. Sed negari potest, quod definitionibus distinguere non possint, quamvis non sit essentialiter prædicatum libertas & intrinsecum, ad eum modum, quo relatum & non relatum distinguuntur essentialiter, & tamen terminus non est quid simpliciter intrinsecum relationi, sed non nisi extrinsecum intrinsecè requisitum.

3. PARITAS. Idem actus intellectus non potest esse deliberatus & indeliberatus; Ergo nec idem potest esse liber & necessarius.

RESPONDETUR. Negando Conf. quia esse actum deliberatum nihil aliud est: quàm ly: Ego adverto: esse autem actum indeliberatum nihil aliud est, nisi esse ly: Ego non adverto: quæ duo non possunt esse idem. Quia autem similis repugnancia non ostenditur in actu libero & necessario, sit ut idem actus, possit esse necessarius & liber.

4. PARITAS est. Non potest esse eadem
propositio vera & falsa. Ergo.

RESPONDETUR. Anteced. in aliquo sensu
falsum esse, de quo in Logicis. Deinde si idem
actus de eodem objecto, & ratione omnium re-
liquarum circumstantiarum esset verus & non
verus, sequeretur contradictio, quæ non seque-
retur si idem actus esset liber & necessarius ob
mutationem extrinsecarum circumstantiarum.
Utrique paritati allatæ per id etiam potest res-
ponderi, quia si quis non potest manere eadem
relatio variatò termino, licet terminus non sit
quid intrinsecum relationi; ita nec erit neces-
sarium ponere inter istos duos actus necessarium scil. &
liberum differentiam ratione intrinsecorum,
cùm salvari possit ratione extrinsecorum, licet
intrinsecè requisitorum.

5. PARITAS est. Perfectio est intrinseca actui; esse etiam malum, est etiam intrinsecum actui: Ergo & libertas erit prædicatum intrinsecum.

RESPONDETUR. Non omnes malitias esse intrinsecas actui: Perfectionesque connotative explicabiles suum connotatum non important tanquam quid intrinsecum, idem in præsentī dicendum.

2. ARGUMENTUM est Hurt. Actus liber est objectum specialis complacentiæ vel dispi- centiæ Divinæ, quale objectum non est actus necessarius: Ergo liber, habet aliquam intrinse- cam perfectionem quam non habet necessarius. Antecedens probatur, quia aliàs non præmia- ret Deus actum bonum liberum, nec puniret malum, si non esset verum Antecedens, & ta- men ad præmium & vituperabilitatem suppo- nitur libertas.

RESPONDETUR. Communiter duplicia esse Entia circa quæ versatur complacentia: alia quidem simplicia & absoluta; qualis est entitas, Angelus, qui simplex cum sit, propter suam perfectionem placet Deo. Alia autem quæ placent, sunt composita, & ea quæ sic placent non placent propter perfectionem quam habent singula seorsim accepta, sed prout conjuncta reliquis. Sic pulchritudo non est quid simplex, sed quoddam aggregatum ex pluribus, & pulchritudinis partes non placent secundum se, sed secundum quod conjunguntur ceteris: nam idem nasus si esset in fronte brevior, & in facie curtiore non placeret; in proportionata autem facie placet: idemque proportionaliter applicari debet ad displicentiam; nam is nasus qui displicet sub fronte parva, placeret sub magna. Quod dicitur de complacentia vel displicentia in ordine physico, dici potest, de displicentia in ordine morali; sic estus carniū, qui secundum se spectatus placere potest, si fiat die Jovis, displicet si fiat die Veneris. Porro in istis quæ displicent, vel complacentiæ sunt objectum, suntque ex pluribus composita, fieri potest, ut unum seorsim spectatum amabile sit, conjunctum cum altero odibile; sic idem cibus, si apponatur sapiat, si misceatur cum altero desipit, ita & propositio boni placere potest, conjuncta cum amore mali displicet.

RESPONDETUR 2. Concesso Ant. Neg. Conf. Quia ad hoc ut aliquid reddatur dignum odio non est necesse tanquam aliquid intrinsecum dicere illud objectum odibilitatis: Sed sufficit dicere tanquam aliquid necessario connexum. Unde etiam quando aliquid de novo displicet, non est necesse advenire aliquid mali in se: Sed sufficit ut in conjuncto illo, resulter aliquid, quod sit odio dignum, quamvis non omnia seorsim sumpta, sint odio digna.

INSTABIS 1. Cum actus liber per nos compleatur etiam advertentia, propositio ipsa non dicitur mala, sed sola actio voluntatis. Cujus ratio non potest reddi nisi quod intrinsecam malitiam habeat actus liber, quam non habet advertentia.

RESPONDERI potest. Advertentiam in seipsa, esse quid commune ad bonum & malum, utque completum ex advertentia & volitione reddatur malum, ponitur determinatio ab ipso met actu voluntatis. Et sicut pes rectus non est claudus, quamvis determinetur ad claudicationem à pede curvo; nec Deus est causa peccati, quia concursus illius, & voluntas sancta non determinat ad peccatum, sed ipsa causa secundum determinantis habeat actus voluntatis, vel sequens advertentiam; vel post advertentiam continuatus, sit ut soli illi tribuatur malitia.

3. ARGUMENTUM est. Procedere à voluntate, à cognitione indifferenti, itemque con-

curso, sunt hæc omnia essentialia actui libero. Ergo & libertas.

RESPONDETUR. Hæc omnia esse non nisi quid extrinsecum intrinsecè requisitum.

4. ARGUMENTUM est. Ratio liberi in actu, est ipsa actio, quæ est quid intrinsecum sibi.

RESPONDETUR. Rationem liberi secundum id quod dicit in recto esse quid intrinsecum; non autem secundum ea, quæ dicit extrinsecè, & in obliquo.

5. ARGUMENTUM. Si non sit libertas intrinsecum quid actui, non habebunt potioritudo libertatem actus interni, quam exteri.

RESPONDETUR. Fore adhuc rationem: quia externæ actiones proficiscuntur à principio ad unum determinato, nec sunt capaces primitive participandi illud extrinsecum prædictum libertatis, sed illud participant non nisi mediante actu interno.

INSTABIS. Principium liberum reducitur ad actum secundum per operationem liberam formaliter: Ergo hæc dicit aliquid adæquatè distinctum ab ipso principio.

RESPONDETUR. Actus liber per suam entitatem distinguitur realiter à suo principio, licet non secundum omnia, quæ importat, adeoque non secundum posse esse & non esse, quod idem tam actui quam potentia convenit. Et sicut Pater distinguitur realiter à filio, non tamen distinguitur realiter à seipso prout importato ab eodem filio; sic & in præsentia. Concedi ergo potest activa libertas potentia, passiva actui.

Punctum Difficultatis 2.

Deciditur de Difficultate.

PRÆMITTO 1. Sicut in Metaphysica duplicem possibilitatem agnovimus; unam intrinsecam, quæ est in connexionem prædicatorum essentialium sita; & aliam extrinsecam sitam in causis potentibus producere effectum: ita & in præsentia possumus ponere duplicem Libertatem, unam extrinsecam & activam, quæ est ipsamet potentia; & ipsamet prærequisita indifferentia; & aliam libertatem intrinsecam, & quasi passivam, quæ est ipsemet actus prout connotans ipsas potentias indifferentes.

PRÆMITTO 2. Libertatem passivam duoducere. Unum in Recto, hoc est ipsam entitatem actus; & aliud in obliquo hoc est prædictum posse esse & non esse. Illud posse esse & non esse, non potest importari ab actu intrinsecè, & tanquam aliquid intrinsecum.

RATIO. Tum quia sicut non sunt multiplicanda entia sine necessitate, ita nec intrinsecanda; nulla autem necessitas intrinsecandi actui illud posse esse, & non esse. Tum quia posse esse & non esse desumitur relatè ad ipsummet principium: Ergo sicut principium non est intrin-

insecum prædicatum effectui; ita nec illud posse esse & non esse erit intrinsecum prædicatum. Tum, quia negatio ejusdem esse, non potest intrinsecari ipsi esse: Ergo nec actui libero posse esse, & posse non esse intrinsecari poterit. Consi. probatur, quia illud esse, quod ponit ly: posse esse, negat postea ly: posse non esse: Ergo si negatio esse, non potest intrinsecari ipsi esse, nec actui libero posse esse, & posse non esse, intrinsecari poterit.

PRÆMITTO 3. *Quod libertas actui voluntatis secundum quod actus voluntatis est, neque sit essentialis, neque non essentialis*: non essentialis, quia alias actus voluntatis non posset esse necessarius, si est illi essentialis libertas, neque etiam potest dici, quod sit non essentialis libertas, alias neque actui libero reduplicative sumpto essentialis foret. Cumque actus voluntatis quā talis præcindat ab esse liberi & necessarii, non potest dici essentialem esse actui voluntatis quā talis libertatem. Est ergo actus voluntatis nec secundum suam entitatem simpliciter accipiens, neque sub reduplicacione Liberi, sed specificative non nisi: An scilicet actus voluntatis liber specificative acceptus, tanquam intrinsecum prædicatum dicat libertatem.

DICENDUM. *Quod actus liber importet libertatem tanquam aliquid extrinsecum, intrinsecè tamen & essentialiter requisitum*. Est conclusio conformis istis quæ dicta sunt in materia de Connotatis & Relatione, iisque quæ dicta sunt in materia de Penitentia: An scilicet peccatum sit pars compositiva penitentiae?

PROBATUR 1. Id quod definitivè spectat ad actum Liberum, si non est intrinsecum, saltem debet esse extrinsecum intrinsecè requisitum: etenim quæ ad definitionem spectant, spectant ad essentiam rei: sed actus liber per posse esse & non esse definitur: Ergo.

PROBATUR 2. Conclusio. Non apparet ratio cur major sit connexio actus liberi cum posse esse & non esse, quàm sit inter relationem & terminum; sed terminus est non nisi quid extrinsecum intrinsecè requisitum ad relationem: Ergo idem dicendum de posse esse & non esse comparato ad actum liberum.

PROBATUR 3. Posse esse, & non esse, vel est conditio actus liberi, vel prædicatum intrinsecum, vel aliquod extrinsecum connotatum: sed non est sola conditio; quia si posse esse & non esse est sola conditio actus liberi, necessariò actus liber deberet habere alia prædicata sui definitiva: nihil enim definitur per meram conditionem. Non etiam illud posse esse & non esse est prædicatum intrinsecum propter dicta Præmissa secundò: non etiam est extrinsecum absolute etiam per Te: quia ingreditur definitionem liberi, debet ergo esse, ut intenditur, extrinsecum quidem connotatum, intrinsecè autem requisitum, quia ingreditur definitionem.

Sed poterint idem actus qui erat liber esse necessarius: si adæquatè & cum suis connotatis accipiat actus liber non poterit reddi necessarius. Ratio, quia pro connotato dicit indifferentiam causarum, adeoque exclusionem necessitatis desumibilis à causis determinatis. In adæquatè tamen acceptus actus liber, seu pro sola entitate, potest reddi necessarius: nulla enim in hoc implicantia apparet, unica posset esse in hoc contradictio, nempe quòd sit liber tas intrinsecum prædicatum: hoc autem ipsum negatur.

OBJICIT 1. Esparza hic q. 14. Omnis actus liberè ac indifferenter elicitus, est essentialiter comparativus eorum extremorum, inter quæ versatur libertas arbitrii; utpote intrinsecè profectivus unius & reactivus alterius: Ergo actus liberè elicitus ex conceptu suo, est intrinsecè ac essentialiter exercitium potentiae liberæ, ut libera est, adæquatè sumptus, atque adeò est illi adæquatè intrinseca libertas in actu secundo: non secus atque est adæquatè intrinseca libertas in actu primo voluntati, quatenus conjunctæ cum omnibus requisitis, ad agendum & non agendum.

RESPONDETUR. Alia hæc est questio: An sit essentialiter actui libero posse esse & non esse; alia autem: An hoc ipsum posse esse & non esse sit aliquid intrinsecum, intrinsecè requisitum, parsque illius. Nam etiam relationi essentialiter est esse ad terminum, neque tamen terminus est pars relationis: essentialiter est causæ esse ad effectum; neque tamen effectus etiam per oppositos est pars causæ. Rursus Antecedens non continet definitionem libertatis, sed prædicatum commune etiam deliberationi intellectuali: hinc ex illo non est recta consequentia. Rursus Consequens hoc sensu est verum, quòd actus liber stante libertate reduplicativeque acceptus ex conceptu suo sit exercitium potentiae liberæ, secus non stante libertate; & actum non nisi specificativè sumpto.

Conformiter ad Conclusionem dici potest, quòd actus liber sit essentialiter comparativus, non ita ut sit hoc illi quid intrinsecum & ab intrinseco petibile: sed ita ut sit quid extrinsecum, & ab extrinseco, hoc est, à causis indifferentibus petibile: licet sit intrinsecè requisitum: quia ingreditur definitionem: non est autem novum ut entia connotativa, & respectiva aliquod extrinsecum, quia ad aliud, pro definitivo exposcant.

Paritas allata non tenet, quia esse causam talem & esse requisita talia non est prædicatum ab aliquo extrinseco pendens in ratione causativi; hinc libertas actui primo erit intrinseca: Jam autem libertas in actu secundo, est pendens ab extrinseco, nempe à principio potente operari vel non operari; quòd ipsum prædicatum sicut est extrinsecum actui;

ita & prædicata ab illo petibilia. Et sicut esse album est prædicatum intrinsecum & absolutum, secus esse simile: Ita & intrinseca erit libertas actui primo, stans in indifferentia causæ, non autem libertas actus secundi.

OBJICIT 2. Idem. Actus opinativus differt intrinsecè à cognitione evidenti: Ergo & liber à necessario, differet intrinsecè: quia sicut actus opinativus oritur ab intellectu distracto per motiva opposita, ita & actus liber oritur à voluntate distracta per plura motiva.

RESPONDETUR. Esse actum opinativum, nihil aliud est nisi esse expressionem assensivam objecto ob rationem non convictivam: ratio quidem non convictiva est quid extrinsecum, expressio tamen ipsa non est quid extrinsecum sibi ipsi. Jam autem actus liber non ratione sui, sed ratione causæ potentis operari, & non operari est liber: hinc sicut illa causa est quid extrinsecum actui; ita & prædicatum ex illa petibile, erit extrinsecum actui. Ex dictis etiam distinguitur Conf. Ergo & liber actus à necessario differt intrinsecè involvendo posse esse & non esse tanquam aliquid extrinsecum intrinsecè requisitum Con. Conf. Involvendo illud tanquam intrinsecum sibi & non connotativum Neg. Conf. Nec est necesse ut in omnibus sit imitativa voluntas actuum intellectus & prædicatorum ab expressione petibilia; alias & ipsi actus voluntatis deberent esse expressio: Jam autem quòd esse opinionem sit quid intrinsecum petitur ex prædicato expressionis. Sed sufficit ut in hoc imitetur notitiam nempe in positione assensus ad suum bonum, & in imitatione ne quidquam intentet voluntas nisi prius exprimat & cognoscat intellectus. Et cum esse vitale sit quid extrinsecum intrinsecè requisitum ad vitalitatem, etiam in actibus intellectus, eosdem imitando voluntas, esse liberum importabit pro prædicato extrinseco intrinsecè requisito.

QUÆSTIO II.

De Divisione, & Subiecto Libertatis.

PAUCA erunt de Divisione tradenda; de subiecto autem libertatis petantur reliqua ex Animasticis, & Ethicis. Ubi tractatum est, An Intellectus sit potentia libera? Itemque potentia appetitiva sensibilis? Ibidem etiam tractabatur. An Actus liber dum fit sit liber? Item An electio, Actus imperatus sint liberi, &c.

Quoad primum.

DIVIDITUR 1. Libertas in Libertatem potentia, & libertatem actus. Utraque est explicata super præmissis 1.

DIVIDITUR 2. In Libertatem quoad specificationem, & in Libertatem quoad exercitium. Libertas quoad specificationem est indifferentia ad ponendum hunc vel illum in spe-

cie actum, licet alteruter ponere debeat. Libertas autem quoad exercitium est quando non solum est indifferentis ad hunc vel illum ponendum actum, sed potest neutrum ponere.

DIVIDITUR 3. quanquam divisione cum priori coincidente Libertas in libertatem contradictionis, & libertatem Contrarietatis. Libertas contradictionis est quando non tantum est indeterminata potentia ad hunc potius actum, quam ad illum, sed fieri potest ut nullum eliciat. Appellatur hæc libertas contradictionis, quia sicut contradictio stat in esse & non esse, ita illa libertas habet indifferentiam ad esse actus, & non esse actus. Libertas autem Contrarietatis est, secundum quam datur indifferentia ad alterutrum actum, non tamen ad negationem utriusque. Appellatur hæc libertas Contrarietatis, quia sicut contraria sunt circa terminos positivos, sic & libertas Contrarietatis, est circa terminos positivos hujus, vel illius actus.

Quoad secundum:

ILLUD in præsentis reliquis alibi tractatis discutiendum venit; An Subjectum Libertatis sit nonnisi potentia activa, ita ut potentia passiva, nullo modo possit esse libera?

DICENDUM est. *Non posse salvari libertatem in potentia passiva sine ullo omnino actu illius.*

Videnda sunt in primis Rationes aliorum. **RATIO 1.** Adferri solet. Quia Trident. docet de Justif. Can. 4. Quod in negotio salutis merè passivè nos non habeamus.

RESPONDERI potest. Hoc loco non nisi supponere Tridentinum quòd nulla potentia passiva libera de facto detur.

RATIO 2. est. Quà utitur Rec. Suar. De ratione Libertatis est indifferentia activa: definitur enim libertas, potentia quæ positis omnibus prærequisitis potest agere, vel non agere, vel agere oppositum. Hæc autem indifferentia debet esse immediata libertati.

RESPONDERI potest. Quòd libertatis nonnisi activa sit hæc definitio, non autem libertatis ut sic, quam non posse extendi etiam ad potentiam passivam, necdum ostenditur.

INSTAT 1. Idem. Voluntas ut sit libera, debet habere dominium supra suos actus, & posse illos cohibere; hoc autem dominium, non est v. g. in gratia: quia gratia non est cohibitiva actus.

RESPONDERI potest. De facto libertatem non esse conjunctam nisi cum dominio activo: sed inde non sequitur esse impossibilem libertatem potentia passiva.

INSTAT 2. Idem. Potentia passiva quæ talis non potest non recipere actum, potentia autem libera debet habere posse agere & non agere. Assumptum probatur quia potentia passiva aut posset recipere actum, vel non recipere ante illius productionem, aut post illius produ-